



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati Et Conventvi sancti Auberti Cameracensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiat ultra pretium Capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestrae utilitatem. Quòd si facere fortè præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Nulli ergo &c. nostræ prohibitionis &c. usque incursum. Datum Laterani 11. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimoquarto.

E I S D E M.

Epist. 24.  
Ut eis liceat divina officia celebrare tempore interdicti.

**S**olet annuere &c. usque impertiri. Ea propter &c. ut in alia usque assensu, ut quotiescunque terram nobilis viri Comitis Gisenensis patroni monasterij vestri pro suis excessibus, debitis, aut aliquibus causis aliis subici contigerit ecclesiastico interdicto, juxta quod vobis est à felici recordationis Alexandro Papa prædecessore nostro indultum, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina vobis liceat officia celebrare, devotioni vestrae auctoritate præsentium indulgemus. Decernimus ergo &c. nostræ concessionis &c. usque incursum. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTUI  
sancti Auberti Cameracensis.

Epist. 25.  
Confirmat eorum possessiones.

**C**vm à nobis petitur &c. ut in alia usque assensu, altare sanctæ Bovæ vobis à bonæ memoriæ Vu. Rotomagensi Archiepiscopo de assensu Capituli sui collatum, altaria de Wildebroc & de Vrimele, quæ bonæ memoriæ R. Cameracensis Episcopus, & altare de Herentoth, quod venerabilis frater noster I. successor ipsius in elemosynam consentiente Cameracensi Capitulo vestro monasterio canonicè contulerunt, decimas de Crieveguer, Barastro, & de Hapelaincort ad ipsum monasterium de manu laica rationabiliter consensu ipsius Cameracensis Episcopi revocatas, & partem decimæ de Kion, & omnia alia bona vestra, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimoquarto.

ABBATI ET CONVENTUI  
sancti Quintini Belvacensis.

Epist. 26.  
Ne beneficia non vacantia promittantur.

**C**vm ex injuncto nobis apostolatus officio Ecclesiarum omnium curam & sollicitudinem gerere teneamur, ea in ipsis

corrige nos oportet quæ in gravamen earum noscuntur plurimum redundare. Sanè ad nostram audientiam vobis referentibus est delatum quòd tam vos quàm vestri prædecessores ad multorum instantiam importunam quibusdam promissiones de non vacantibus Ecclesiis facientes, pensiones eisdem quasdam interim contulistis. Quia igitur id contra statuta &c. ut supra lib. xi. epist. c. cv. usque auctoritate vobis apostolica districtius inhibemus ne contra &c. inhibitionis &c. usque incursum. Datum Laterani 11. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTUI  
sancti Eligij Noviomensis.

**C**vm ex concessa nobis à Domino potestate ad omnium Ecclesiarum curam aciem nostræ considerationis extendere teneamur, ea corrige nos oportet quæ interdum in ipsarum gravamen temerè attentantur. Sanè ad nostram audientiam vobis referentibus est delatum quòd &c. ut in alia per totum usque in finem. Datum &c.

PETRO ILLVSTRI REGI  
Aragonum.

**C**vm donationes nonnullas infra ætatis tuæ legitimæ tempora te fecisse proponas in enorme tui dispendium redundantes, majorem partem tuorum reddituum sic donando, nec expedire te nimis egere, quem oportet graves & grandes expensas subire in expugnando Christiani nominis inimicos, præsentium tibi auctoritate concedimus ut omnes donationes prædictis temporibus illicitè à te factas legitimè valeas revocare. Hoc expressio speculariter ad cautelam, ut donationes factæ Ecclesiis vel aliis piis locis, si quæ fuerint revocandæ, per ecclesiasticum judicem revocentur. Datum Laterani 11. Idus Aprilis, anno quartodecimo.

EPISCOPO LINGONENSI,  
& nobili viro Duci Burgundiæ.

**S**icut ex litteris dilectorum filiorum Abbatibus & conventus sancti Benigni Divionensis diocesis Lingonensis accepimus, cum tu, frater Episcope, in tuæ promotionis initio ad monasterium eorundem, de cujus miserabili lapsu multa didiceras, accessisses gratia visitandi, memoratus conventus in te ac eundem Abbatem & Prorem ejusdem loci necnon & duos alios Clericos super reformatione domus tam in